

AUSONE

EPIGRAMMATA (637 vers)

<DE AVGVSTO>

- E1 v.1 Phoebe potens numeris, praeses Tritonia bellis,
 2 tu quoque ab aereo praepes Victoria lapsu,
 3 come serenatam duplici diademate frontem,
 4serta ferens, quae dona togae, quae praemia pugnae.
 5 Bellandi fandique potens Augustus honorem
 6bis meret, ut geminet titulos, qui proelia Musis
 7temperat et Geticum moderatur Apolline Martem.
 8Arma inter Chunosque truces furtoque nocentes
 9Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
 10indulget Clariis tantum inter castra Camenis.
 11Vix posuit volucres stridentia tela sagittas :
 12Musarum ad calamos fertur manus, otia nescit
 13et commutata meditatur harundine carmen ;
 14sed carmen non molle modis, bella horrida Martis
 15Odrysii Thraessaeque viraginis arma retractat.
 16Exsulta, Aeacide, celebraris vate superbo
 17rursum Romanusque tibi contingit Homerus.

COMMENDATIO CODICIS

- E2 v.1 Est quod mane legas, est et quod vespere. Laetis
 2seria miscuimus, temperie ut placeant.
 3Non unus vitae color est nec carminis unus
 4lector : habet tempus pagina quaeque suum.
 5Hoc mitrata Venus probat hoc galeata Minerva ;
 6Stoicus has partes, has Epicurus amat.
 7Salva mihi veterum maneat dum regula morum,
 8plaudat permissis sobria Musa jocis.

<DE FERA A CAESARE INTERFECTA>

- E3 v.1 Cedere quae lato nescit fera saucia ferro
 2armatique urget tela cruenta viri,
 3quam grandes parvo patitur sub vulnere mortes
 4et solam leti vim probat esse manum !
 5Mirantur casusque novos subitasque ruinas :
 6[LACUNE]
 7nec contenta ictos letaliter ire per artus
 8conjungit mortes una sagitta duas.
 9Plurima communi pereunt si fulminis ictu,
 10haec quoque de caelo vulnera missa putes.

AD FONTEM DANVVII IVSSV VALENTINIANI AVG.

- E4 v.1 Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
 2Danuvius laetum profero fonte caput.
 3Salvere Augustos jubeo natumque patremque,
 4armiferis alvi quos ego Pannoniis.
 5Nuntius Euxino jam nunc volo currere ponto,
 6ut sciat hoc superum cura secunda Valens,
 7caede, fuga, flammis stratos periisse Suebos
 8nec Rhenum Gallis limitis esse loco.

9 Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis,
10 huc possem victos inde referre Gothos.

AD FONTEM DANVVII IVSSV VALENTINIANI AVG.

E5 v.1 Danuvius penitis caput occultatus in oris
2 totus sub vestra jam dicione fluo.
3 Qua gelidum fontem mediis effundo Suebis,
4 imperiis gravidas qua seco Pannonias,
5 et qua dives aquis Scythico solvo ostia ponto,
6 omnia sub vestrum flumina mitto jugum.
7 Augusto dabitur sed proxima palma Valenti :
8 inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

VALENTINIANO IVNIORI IN SIGNVM MARMOREVM

E6 v.1 Nunc te marmoreum pro sumptu fecimus ; at cum
2 Augustus frater remeaverit, aureus esto.

PICTVRAE SVBDITI VBI LEO VNA SAGITTA A GRATIANO OCCISVS EST

E7 v.1 Quod leo tam tenui patitur sub harundine letum,
2 non vires ferri, sed ferientis agunt.

EXHORTATIO AD MODESTIAM

E8 v.1 Fama est fictilibus cenasse Agathoclea regem
2 atque abacum Samio saepe onerasse luto,
3 fercula gemmatis cum poneret horrida vasis
4 et misceret opes pauperiemque simul.
5 Quaerenti causam respondit : "Rex ego qui sum
6 Sicaniae, figulo sum genitore satus".
7 Fortunam reverenter habe, quicumque repente
8 dives ab exili progrediere loco.

IN EVNIPINAM ADVLTERAM

E9 v.1 Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito,
2 nec satis ad mortem credidit esse datum.
3 Miscuit argenti letalia pondera vivi,
4 cogeret ut celerem vis geminata necem.
5 Dividat haec si quis, faciunt discreta venenum :
6 antidotum sumet, qui sociata bibet.
7 Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
8 cessit letalis noxa salutiferae.
9 Protinus et vacuos alvi petiere recessus,
10 lubrica dejectis qua via nota cibis.
11 Quam pia cura deum ! Prodest crudelior uxor ;
12 et, cum fata volunt, bina venena juvant.

IN ECHO PICTAM

E10 v.1 Vane, quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
2 ignotamque oculis sollicitare deam ?
3 Aeris et linguae sum filia, mater inanis
4 indicii, vocem quae sine mente gero.
5 Extremos pereunte modos a fine reducens
6 ludificata sequor verba aliena meis.
7 Auribus in vestris habito penetrabilis Echo :
8 et si vis similem pingere, pinge sonum.

- IN SIMVLACRVM OCCASIONIS ET PAENITENTIAE
- E11 v.1 Cujus opus ? Phidiae, qui signum Pallados, ejus,
2 quique Jovem fecit, tertia palma ego sum.
3 Sum dea quae rara et paucis occasio nota.
4 Quid rotulae insistis ? Stare loco nequeo.
5 Quid talaria habes ? Volucris sum. Mercurius quae
6 fortunare solet, tardo ego, cum volui.
7 Crine tegis faciem ? Cognosci nolo. Sed heus tu
8 occipiti calvo es ? Ne tenear fugiens.
9 Quae tibi juncta comes ? Dicat tibi. Dic, rogo, quae sis.
10 Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
11 Sum dea, quae facti non factique exigo poenas,
12 nempe ut paeniteat. Sic Metanoea vocor.
13 Tu modo dic, quid agat tecum. Quandoque volavi,
14 haec manet : hanc retinent quos ego praeterii.
15 Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris,
16 elapsam dices me tibi de manibus.
- <AD GALLAM PVELLAM IAM SENESCENTEM>
- E12 v.1 Dicebam tibi : "Galla, senescimus. Effugit aetas,
2 utere rene tuo : casta puella anus est".
3 Sprevisisti. Obrepsit non intellecta senectus
4 nec revocare potes, qui periere, dies.
5 Nunc piget et quereris, quod non aut ista voluntas
6 tunc fuit aut non est nunc ea forma tibi.
7 Da tamen amplexus oblitaque gaudia junge ;
8 da : fruar etsi non quod volo, quod volui.
- DE LEPORE CAPTO A CANE MARINO
- E13 v.1 Trinacrii quondam currentem in litoris ora
2 ante canes leporem caeruleus rapuit.
3 At lepus : "In me omnis terrae pelagique rapina est,
4 forsitan et caeli ; si canis astra tenet".
- <DE PERGAMO SCRIPTORE FVGITIVO QVI CAPTVS FVERAT>
- E14 v.1 Tam segnis scriptor, quam lentus, Pergame, cursor,
2 fugisti et primo captus es in stadio.
3 Ergo notas scripto tolerasti Pergame, vultu
4 et quas neglexit dextera, frons patitur.
- <IN EVNDEM PERGAMVM>
- E15 v.1 Pergame non recte punitus fronte subisti
2 supplicium, lentae quod meruere manus.
3 At tu, qui dominus, peccantia membra coerce ;
4 injustum falsos excruciare reos.
5 Aut inscribe istam, quae non volt scribere, dextram,
6 aut profugos ferri pondere necte pedes.
- <DE MYRONE ET LAIDE>
- E16 v.1 Canus rogabat Laidis noctem Myron :
2 tulit repulsam protinus
3 causamque sensit et caput fuligine
4 fucavit atra candidum.
5 idemque vultu, crine non idem Myron
6 orabat oratum prius.
7 Sed illa formam cum capillo comparans

- 8 similemque, non ipsum, rata
9 (fortasse et ipsum, sed volens ludo frui)
10 sic est adorta callidum :
11 "Inepte quid me quod recusavi rogas ?
12 Patri negavi jam tuos".
- E17 DE OPINIONE QVAM DE ILLO HABEBAT EIVS VXOR
v.1 Laidas et Glyceras, lascivae nomina famae,
2 conjunx in nostro carmine cum legeret,
3 ludere me dixit falsoque in amore jocari.
4 Tanta illi nostra est de probitate fides.
- E18 AD VXOREM
v.1 Uxor vivamus quod viximus, et teneamus
2 nomina, quae primo sumpsimus in thalamo ;
3 nec ferat ulla dies, ut commutemur in aevo ;
4 quin tibi sim juvenis tuque puella mihi.
5 Nestore sim quamvis provector aemulaque annis
6 vincas Cumanam tu quoque Deiphoben ;
7 nos ignoremus quid sit matura senectus.
8 Scire aevi meritum, non numerare decet.
- E19 IN MEROEN ANVM EBRIOSAM
v.1 Qui primus, Meroe, nomen tibi condidit, ille
2 Thesidae nomen condidit Hippolito.
3 Nam divinare est, nomen componere, quod sit
4 fortunae et morum vel necis indicium.
5 Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt,
6 victima quod Trojae prima futurus eras.
7 Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicunt,
8 discendas artes nomina praeveniunt.
9 Et tu sic, Meroe, non quod sis atra colore,
10 ut quae Niliaca nascitur in Meroe ;
11 infusum sed quod vinum non diluis undis,
12 potare immixtum sueta merumque merum.
- E20 EX GRAECO TRADVCTUM DE STATVA NEMESIS
v.1 Me lapidem quondam Persae advexere, tropaeum
2 ut fierem bello : nunc ego sum Nemesis.
3 Ac sicut Graecis victoribus asto tropaeum,
4 punio sic Persas vaniloquos Nemesis.
- E21 DE EO QVI THESAURVM REPPERIT CVM SE LAQVEO VELLE SVSPENDERE. EX GRAECO
v.1 Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum
2 thesaurique loco deposuit laqueum.
3 At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
4 aptavit collo quem reperit laqueum.
- E22 DE THRASYBVLO LACEDAEMONIO, QVI FORTISSIME DIMICANS OCCVBVIT
v.1 Excipis adverso quod pectore volnera septem,
2 arma super veheris quod, Thrasybule, tua,
3 non dolor hic patris, Pitanae sed gloria major.
4 Rarum, tam pulchro funere posse frui.
5 Quem postquam maesto socii posuere feretro,
6 taliamagnanimus edidit orsa pater :

7 "Flete alios, natus lacrimis non indiget ullis,
8 et meus, et talis, et Lacedaemonius".

E23 v.1 EX GRAECO TRADVCTVM DE MATRE MAGNANIMA
2 Mater Lacaena clipeo obarmans filium,
"Cum hoc", inquit, "aut in hoc redi".

E24 v.1 IN DEGENEREM, DIVITEM MOECHO GENITVM
2 Quidam superbus opibus et fastu tumens
3 tantumque verbis nobilis
4 spernit vigentis clara saeculi nomina,
5 antiqua captans stemmata,
6 Martem Remumque et conditorem Romulum
7 privos parentes nuncupans.
8 Hos ille Serum veste contexti jubet,
9 hos caelat argento gravi,
10 ceris inurens januarum limina
11 et atriorum pegmata.
12 Credo quod illi nec pater certus fuit
et mater est vere lupa.

E25 v.1 VERSVS IN VESTE CONTEXTI
2 Laudet Achaemenias orientis gloria telas ;
3 molle aurum pallis, Graecia, texe tuis :
4 non minus Ausoniam celebret dum fama Sabinam,
parcentem magnis sumptibus, arte parem.

E26 v.1 ITEM
2 Sive probas Tyrio textam subtemine vestem
3 seu placet inscripti commoditas tituli,
4 ipsius hoc dominae concinnat utrumque venustas,
has geminas artes una Sabina colit.

E27 v.1 ITEM
2 Licia qui texunt et carmina, carmina Musis,
3 licia contribuunt, casta Minerva, tibi.
4 Ast ego rem sociam non dissociabo Sabina,
versibus inscripti quae mea texta meis.

E28 v.1 ANTISTHENIS CYNICI IMAGINI SVBDITI
2 Inventor primus cynices ego. "Quae ratio istaec ?
3 Alcides multo dicitur esse prior".
4 Alcida quondam fueram doctore secundus :
nunc ego sum cynices primus, et ille deus.

E29 v.1 <ITEM>
2 Discipulus melior nulli meliorve magister
3 Eis Areten Synebe Kai Kyniken Sophien.
4 Dicere me verum novit, qui novit utrumque,
Kai Theon Alkeiden Kai Kyna Diogenen.

- MIXOBARBARON LIBERI PATRIS SIGNO MARMOREO IN VILLA NOSTRA...
- E30 v.1 Ogygidae me Bacchum vocant,
2 Osirin Aegypti putant,
3 Mysi Phanacem nominant,
4 Dionyson Indi existimant,
5 Romana sacra Liberum,
6 Arabica gens Adoneum,
7 Lucaniacus Pantheum.
- LIBERO PATRI
- E31 v.1 Aigyptou men Osiris ego, Mouson de Phanakes
2 Bakchos eni Zooisin, eni Phthimenoisin Adoneus,
3 pyrogenes dikeros, Titanoletes, Dionysos.
- IN CORYDONEM MARMOREVM
- E32 v.1 Aix chimaros pere Poimen rabdouchos Elaie
2 Eis lithos ek panton liltos ego Korydon.
- IN SIMVLACRVM SAPPHONIS
- E33 v.1 Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis,
2 Eim' enate lyrikon, Aonidon dekate.
- DEAE VENERI
- E34 v.1 Orta salo, suscepta solo, patre edita Caelo,
2 Aeneadam genetrix, hic habito alma Venus.
- AD LIBELLVM SVVM
- E35 v.1 Si tineas cariemque pati te, charta, necesse est,
2 incipe versiculis ante perire meis.
3 "Malo", inquis, "tineis". Sapis, aerumnose libelle,
4 perfungi mavis quod leviole malo.
5 Ast ego damnosae nolo otia perdere Musae,
6 jacturam somni quae parit atque olei.
7 "Utilius dormire fuit quam perdere somnum
8 atque oleum". Bene ais, causa sed ista mihi est.
9 Irascor Proculo, cujus facundia tanta est,
10 quantus honos. Scripsit plurima, quae cohibet.
11 Hunc studeo ulcisci ; et prompta est ultio vati.
12 Qui sua non edit carmina, nostra legat.
13 Hujus in arbitrio est, seu te juvenescere cedro,
14 seu jubeat duris vermibus esse cibum.
15 Huic ego, quod nobis superest ignobilis oti,
16 deputo, sive legat, quae dabo, sive tegat.
- DE PVELLA QVAM AMABAT
- E36 v.1 Hanc volo, quae non vult ; illam, quae vult, ego nolo :
2 vincere vult animos, non satiare Venus.
3 Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas :
4 nec satiare animum nec cruciare volo.
5 Nec bis cincta Diana placet nec nuda Cythere :
6 illa voluptatis nil habet, haec nimium.
7 Callida sed mediae Veneris mihi venditet artem
8 femina, quae jungat, quod volo nolo vocant.

- DE DVOBVS FRATRIBVS
- E37 v.1 Chrestos Akindynos Autoadelphoi, Oiktra De Tekna,
2 moribus ambo malis nomina falsa gerunt :
3 Oud Houtos Chrestos g Oud Houtos Akindynos Estin.
4 Una potest ambos littera corrigere.
5 Ai Ken Chrestos Echei Par' Adelphou Akindynou Alpha,
6 Kindynos hic, fiet, frater Achrestos erit.
- DE CHRESTO ET ACINDYNO QVIBVS FVERAT MALE NOMEN IMPOSITVM
- E38 v.1 Germani fratres sunt Chrestos, Acindynos alter.
2 Falsum nomen utrique ; sed ut verum sit utrique,
3 alpha suum Chresto det Acindynos, ipse sine alpha
4 permaneat : verum nomen uterque geret.
- QVODDAM QVASI AENIGMA DE TRIBVS INCESTIS
- E39 v.1 "Tres uno in lecto : stuprum duo perpetiuntur
2 et duo committunt". " Quattuor esse reor".
3 "Falleris : extremis da singula crimina et illum
4 bis numera medium, qui facit et patitur".
- DE PHILOMVSIO GRAMMATICO
- E40 v.1 Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est,
2 doctum et grammaticum te, Philomuse, putas ?
3 Hoc genere et chordas et plectra et barbita conde ;
4 omnia mercatus cras citharoedus eris.
- IN STATVAM RVFI
- E41 v.1 Rhetoris haec Rufi statua est ; nil verius : ipsa est.
2 Ipsa adeo linguam non habet et cerebrum.
3 Et riget et surda est et non videt. Haec sibi constant.
4 Unum dissimile est : mollior ille fuit.
- IN RVFI IMAGINEM
- E42 v.1 Elinguem quis te dicentis imagine pinxit ?
2 Dic mihi, Rufe. Taces ? Nil tibi tam simile est.
- IDEM
- E43 v.1 Haec Rufi tabula est : nil verius. Ipse ubi Rufus ?
2 "In cathedra". Quid agit ? "Hoc, quod et in tabula".
- DE RVFO RHETORE
- E44 v.1 "Reminisco", Rufus dixit in versu suo :
2 cor ergo versus, immo Rufus, non habet.
- <ITEM>
- E45 v.1 Qui reminisco putat se dicere posse Latine,
2 hic ubi co scriptum est, faceret cor, si cor haberet.
- <ITEM>
- E46 v.1 Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
2 celebri ut fit in convivio,
3 grammaticae ut artis se peritum ostenderet,

4 haec vota dixit nuptiis :
 5 "Et masculini et feminini gignite
 6 generisque neutri filios".

IN RVFI IMAGINEM

E47 v.1 "Ore pulchro et ore muto scire vis quae sim ?" "Volo."
 2 "Imago Rufi rhetoris Pictavici".
 3 "Diceret set ipse vellem rhethor hoc mi." "Non potest".
 4 "Cur ?" "Ipse rhetor est imago imaginis".

SVB RVFI STATVA

E48 v.1 "Rhetoris haec Rufi statua est ? " Si saxeae, Rufi.
 2 "Cur id ais ?" "Semper saxeus ipse fuit."

DE DIOGENE

E49 v.1 Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arta supellex
 2 ista fuit Cynici, set putat hanc nimiam.
 3 Namque cavis manibus cernens potare bubulcum
 4 "Cur, scyphe, te", dixit, "gesto supervacuum ? "

ITEM

E50 v.1 Effigiem, rex Croese, tuam, ditissime regum,
 2 vidit apud manes Diogenes cynicus.
 3 "Nil", inquit, "tibi, Croese, tuum : superant mihi cuncta.
 4 Nudus eram : sic sum ; nil habui : hoc habeo".
 5 Rex ait : "Haud egui, cum tu, mendice, carebas
 6 omnibus ; et careo, si modo non egeo" ?

IN SIGNVM MARMOREVM NIOBES

E51 v.1 Vivebam : sum facta silex, quae deinde polita
 2 Praxiteli manibus vivo iterum Niobe.
 3 Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu :
 4 hunc ego, cum laesi numina, non habui.

DE PALLADE VOLENTE CERTARE ARMIS CVM VENERE

E52 v.1 Armatam vidit Venerem Lacedaemone Pallas :
 2 "Nunc certemus", ait, "iudice vel Paride."
 3 Cui Venus : "Armatam tu me, temeraria, temnis,
 4 quae quo te vici tempore nuda fui" ?

DE LAIDE DICANTE VENERI SPECVLVM SVVM

E53 v.1 Lais anus Veneri speculum dico : dignum habeat se
 2 aeterna aeternum forma ministerium.
 3 At mihi nullus in hoc usus, quia cernere talem,
 4 qualis sum, nolo, qualis eram, nequeo.

<DE CASTORE POLLVCE ET HELENA>

E54 v.1 Istos tergemino nasci quos cernis ab ovo,
 2 patribus ambiguus et matribus adsere natos.
 3 Hos genuit Nemesis, sed Leda puerpera fovit :
 4 Tyndareus pater his et Juppiter : hic putat, hic scit.

- DE IMAGINE VENERIS SCVLPTA A PRAXITELE
- E55 v.1 Vera Venus Gnidiam cum vidit Cyprida, dixit :
2 "Vidisti nudam me, puto, Praxitele".
3 Non vidi nec fas, sed ferro opus omne polimus.
4 Ferrum Gradivi Martis in arbitrio.
5 Qualem igitur domino scierant placuisse Cytheren,
6 talem fecerunt ferrea caela deam".
- IN BVCVLAM AEREAM MYRONIS
- E56 v.1 Bucula sum, caelo genitoris facta Myronis
2 aerea ; nec factam me puto, sed genitam,
3 Sic me taurus init, sic proxima bucula mugit,
4 sic vitulus sitiens ubera nostra petit.
5 Miraris quod fallo gregem ? Gregis ipse magister
6 inter pascentes me numerare solet.
- IDEM
- E57 v.1 Ubera quid pulsas frigentia matris aenae,
2 o vitule, et sucum lactis ab aere petis ?
3 Hunc quoque praestarem, si me pro parte parasset
4 exteriore Myron, interiore deus.
- IDEM
- E58 v.1 Daedale, cur vana consumis in arte laborem ?
2 Me potius clausa subice Pasiphae.
3 Illecebras verae si vis dare, Daedale, vaccae,
4 viva tibi species vacca Myronis erit.
- IDEM
- E59 v.1 Aerea mugitum poterat dare vacca Myronis ;
2 sed timet artificis deterere ingenium.
3 Fingere nam similem vivae, quam vivere, plus est ;
4 nec sunt facta dei mira, sed artificis.
- IDEM
- E60 v.1 Aerea bos steteram ; mactata est vacca Minervae ;
2 sed dea proflata transtulit hunc animam.
3 Et modo sum duplex, pars aerea, pars animata.
4 Haec manus artificis dicitur, illa deae.
- IDEM
- E61 v.1 Quid me, taure, paras specie deceptus inire ?
2 Non sum ego Minoae machina Pasiphae.
- IDEM
- E62 v.1 Necdum caduco sole, jam sub vespere,
2 ageret juvenas cum domum pastor suas,
3 suam relinquens me monebat ut suam.
- IDEM
- E63 v.1 Unam juvencam pastor forte amiserat,
2 numerumque jussus reddere
3 me defuisse conquerebatur, sequi

4 quae noluissem ceteras.

<QVAE SEXVM MVTARINT>

E64 v.1 Vallebanae (nova res et vix credenda poetis,
2 sed quae de vera promitur historia)
3 femineam in speciem convertit masculus ales
4 pavaque de pavo constitit ante oculos.
5 Cuncti admirantur monstrum ; sed mollior agna
6 [talita virginea voce puella refert :]
7 "Quid stolidi ad speciem notae novitatis hebetis ?
8 An vos Nasonis carmina non legitis ?
9 Caenida convertit proles Saturnia Consus
10 ambiguoque fuit corpore Tiresias.
11 Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum ;
12 vidit nubentem Plinius androgynum.
13 Nec satis antiquum, quod Campana in Benevento
14 unus epeborum virgo repente fuit.
15 Nolo tamen veteris documenta arcessere famae.
16 Ecce ego sum factus femina de puero.

IN MARCVM

E65 v.1 "Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum
2 corporibusque novis das reduces animas,
3 dic quid erit Marcus jam fata novissima functus,
4 si redeat vitam rursus in aeriam ? "
5 "Quis Marcus ? " "Feles nuper pullaria dictus,
6 corruptit totum qui puerile secus,
7 perversae Veneris postico volnere fossor,
8 Lucili vatis subpilo pullipremo".
9 "Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
10 non caper aut aries, sed scarabaeus erit".

<IN CASTOREM>

E66 v.1 Lambere cum vellet mediorum membra virorum
2 Castor nec posset vulgus habere domi,
3 repperit ut nullum fellator perderet inguen :
4 uxoris coepit lingere membra suae.

SVBSCRIPTA PICTVRAE MVLIERIS IMPVDICAE

E67 v.1 Praeter legitimi genialia foedera coetus
2 repperit obscenas veneres vitiosa libido,
3 Herculis heredi quam Lemnia suasit egestas,
4 quam toga facundi scaenis agitavit Afrani
5 et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
6 Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno :
7 deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam,
8 ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

DE EO QVI TESTAM HOMINIS IMMISERICORDITER DISSIPARE VOLVIT

E68 v.1 Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat
2 testa hominis, nudum jam cute calvitium.
3 Fleverunt alii, fletu non motus Achilles,
4 insuper et silicis verbere dissecuit.
5 Eminus ergo icto rediit lapis ultor ab osse
6 auctorisque sui frontem oculosque petit.
7 Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,

8 auctorem ut feriant tela retorta suum.

DE ALCONE MEDICO

E69 v.1 Languenti Marco dixit Diodorus haruspex
2 ad vitam non plus sex superesse dies.
3 Sed medicus divis fatisque potentior Alcon
4 falsum convicit illico haruspicium
5 tractavitque manum victuri, ni tetigisset ;
6 illico nam Marco sex periere dies.

DE SIGNO IOVIS TACTO AB ALCONE MEDICO

E70 v.1 Alcon hesterno signum Jovis attigit. Ille
2 quamvis marmoreus vim patitur medici.
3 Ecce hodie jussus transferri e sede vetusta
4 effertur, quamvis sit deus atque lapis.

IN EVNOMVM MEDICVM

E71 v.1 Languentem Gaium moriturum dixerat olim
2 Eunomus. Evasit fati ope, non medici.
3 Paulo post ipsum videt, aut vidisse putavit,
4 pallentem et multa mortis in effigie.
5 "Quis tu ?" "Gaius", ait. "Vivisne" ? Hic abnuit. "Et quid
6 nunc agis hic ?" "Missu Ditis", ait, "venio,
7 ut, quia notitiam rerumque hominumque tenerem,
8 accirem medicos". Eunomus obriguit.
9 Tum Gaius : "Metuas nihil, Eunome. Dixi ego et omnes,
10 nullum, qui saperet, dicere te medicum".

IN HOMINEM VOCIS ABSONAE

E72 v.1 Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
2 caprigenumque pecus lanigerosque greges
3 balatu adsimulas ; asinos quoque rudere dicas,
4 cum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
5 Gallorum cantus et ovantes gutture corvos
6 et quidquid vocum belua et ales habet,
7 omnia cum simules ita vere, ut ficta negentur,
8 non potes humanae vocis habere sonum.

DE AVXILIO GRAMMATICO

E73 v.1 Emendata potest quaenam vox esse magistri,
2 nomen qui proprium cum vitio loquitur ?
3 Auxilium te nempe vocas, inscite magister ?
4 Da rectum casum : jam solicismus eris.

IN EVNVM LIGVRRITOREM

E74 v.1 Eune quid affectas vendentem Phyllida odores ?
2 Diceris hanc mediam lambere, non molere.
3 Perspice, ne mercis fallant te nomina, vel ne
4 aere Seplasiae decipiare, cave,
5 dum Kysthon Kostonque putas communis odoris
6 et nardum ac sardas esse sapore pari.

<ITEM>

E75 v.1 Diversa infelix et lambit et olfacit Eunus :

2 dissimilem olfactum naris et oris habet.

AD EVNDEM EVNVM QVOD NON VELIT BENE NEC MALE OLERE
 E76 v.1 Salgama non hoc sunt, quod balsama : cedit odores.
 2 Nec male olere mihi nec bene olere placet.

<ITEM>

E77 v.1 Lais Eros et Itys, Chiron et Eros, Itys alter
 2 nomina si scribas, prima elementa adime,
 3 ut facias verbum, quod tu facis, Eune magister.
 4 Dicere me Latium non decet obprobrium.

<IN EVNDEM>

E78 v.1 Eune, quod uxoris gravidae putria inguina lambis,
 2 festinas glossas non natis tradere natis.

AD EVNVM LIGVRRITOREM PAEDAGOGVM

E79 v.1 Eunus Syrisus, inguinum ligurritor,
 2 opicus magister (sic eum docet Phyllis)
 3 muliebri membrum quadriangulum cernit ;
 4 triquetro coactu Delta litteram ducit.
 5 De valle femorum altrinsecus pares rugas
 6 mediumque, fissi rima qua patet, callem
 7 Psi dicit esse : nam trifissilis forma est.
 8 Cui ipse linguam cum dedit suam, Lambda est :
 9 veramque in illis esse Phi notam sentit.
 10 Quid, imperite, Pe putas ibi scriptum,
 11 ubi locari Iota convenit longum ?
 12 Miselle doctor, Ou tibi sit obsceno,
 13 tuumque nomen Theta sectilis signet.

AD CRISPAM

E80 v.1 Deformem quidam te dicunt, Crispa : ego istud
 2 nescio. Mi pulchra es, iudice me, satis est.
 3 Quin etiam cupio, junctus quia zelus amori est,
 4 ut videre aliis foeda, decora mihi.

QVALEM VELIT HABERE AMICAM

E81 v.1 Sit mihi talis amica velim,
 2 jurgia quae temere incipiat
 3 nec studeat quasi casta loqui,
 4 pulchra procax, petulante manu,
 5 verbera quae ferat et regerat
 6 caesaque ad oscula confugiat.
 7 Nam nisi moribus his fuerit,
 8 casta modesta pudenter agens,
 9 dicere abominor, uxor erit.

EX GRAECO TRADVCTVM AD CVPIDINEM

E82 v.1 Hoc quod amare vocant, solve aut misceto Cupido :
 2 aut neutrum flammis ure vel ure duos.

- AD DIONEM DE AMORE SVO
- E83 v.1 Aut restingue ignem quo torreor, alma Dione,
2 aut transire jube : vel fac utrimque parem.
- EX GRAECO: ARCHE DE TOI HEMISY PANTON
- E84 v.1 Incipe ! Dimidium facti est coepisse. Superfit
2 dimidium : rursus hoc incipe et efficies.
- EX GRAECO: A CHARIS A BRADYPOUS ACHARIS CHARIS
- E85 v.1 Gratia quae tarda est, ingrata est. Gratia namque
2 cum fieri properat, gratia grata magis.
- EX EODEM
- E86 v.1 Si bene quid facias, facias cito. Nam cito factum
2 gratum erit, ingratum gratia tarda facit.
- DE EO QVI CAPANEVM SALTANS RVIT
- E87 v.1 Deceptae felix casus se miscuit arti :
2 histrio, saltabat qui Capanea, ruit.
- IN DODRALEM
- E88 v.1 Dodra ex dodrante est. Sic collige : jus, aqua, vinum,
2 sal, oleum, panis, mel, piper, herba : novem.
- IDEM
- E89 v.1 "Dodra vocor." "Quae causa ?" "Novem species gero." "Quae sunt ?"
2 Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.
- IDEM
- E90 v.1 Dodra, Poton Kai Arithmos, Echo Meli, Oionon, Elaion,
2 Arton, Alas, Botanen, Zomon, Hydor, Peperi.
- DE IVRIS CONSVLTO QVI VXOREM HABEBAT ADVLTERAM
- E91 v.1 Juris consulto, cui vivit adultera conjunx,
2 Papia lex placuit, Julia displicuit.
3 Quaeritis, unde haec sit distantia ? Semivir ipse
4 Scantiniam metuens non metuit Titiam.
- AD QVENDAM QVI LEVIA SIBI INGVINA FACIEBAT
- E92 v.1 Inguina quod calido levas tibi dropace, causa est :
2 irritant volsas levia membra lupas.
3 Sed quod et elixo plantaria podice vellis
4 et teris incurvas pumice Clazomenas,
5 causa latet : bimarem nisi quod patientia morbum
6 appetit et tergo femina, pube vir es.
- IN ZOILVM
- E93 v.1 Semivir uxorem duxisti, Zoile, moecham.
2 O quantus fiet quaestus utrimque domi,
3 cum dabit uxori molitor tuus et tibi adulter,
4 quanti deprensi damna pudoris ement !

5 Sed modo quae vobis lucrosa libido videtur,
6 jacturam senio mox subeunte feret :
7 incipient operas conducti vendere moechi,
8 quos modo munificos lena iuventa tenet.

E94 v.1 AD MARCVM AMICVM DE DISCORDIA QVAM HABET CVM PVELLIS
2 "Hanc amo quae me odit, contra hanc quae me amat, odi.
3 Compone inter nos si potes alma Venus".
4 "Perfacile id faciam : mores mutabo et amores.
5 Oderit haec, amet haec". "Rursus idem patiar".
6 "Vis ambas ut ames ?" "Si diligat utraque, vellem."
7 "Hoc tibi tu praesta, Marce ; ut ameris, ama."

DYSEROS

E95 v.1 "Suasisti, Venus, ecce, duas dyseros ut amarem.
2 Odit utraque ; aliud da modo consilium".
3 "Vince datis ambas." "Cupio : verum arta domi res."
4 "Pellice promissis." "Nulla fides inopi."
5 "Antestare deos." "Non fas mihi fallere divos."
6 "Pervigila ante fores." "Nocte capi metuo."
7 "Scribe elegos." "Nequeo Musarum et Apollinis expers."
8 "Frange fores." "Poenas iudicii metuo."
9 "Stulte, ab amore mori pateris, non vis ob amorem ? "
10 "Malo miser dici quam miser atque reus."
11 "Suasi, quod potui : tu alios modo consule." "Dic quos ? "
12 "Quod sibi suaserunt Phaedra et Elissa dabunt,
13 quod Canace Phyllisque et fastidita Phaoni."
14 "Hoc das consilium ? Tale datur miseris".

PVLCHRVM DEI RESPONSVM

E96 v.1 Doctus Hylas caestu, Phegeus catus arte palaestrae,
2 clarus Olympiacis et Lycus in stadiis,
3 an possent omnes venturo vincere agone,
4 Hammonem Libyae consulere deum.
5 Sed deus, ut sapiens : "Dabitur victoria vobis
6 indubitata equidem, si caveatis", ait,
7 "ne quis Hylam caestu, ne quis certamine luctae
8 Phegea, ne cursu te, Lyce, praetereat".

<DE HERMIONES ZONA>

E97 v.1 Punica turgentis redimibat zona papillas
2 Hermiones ; zonae textum elegeon erat :
3 "Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat ames me
4 exemploque tuo neminem amare vetes".

HYLAE

E98 v.1 Aspice quam blandae necis ambitione fruatur
2 letifera experiens gaudia pulcher Hylas.
3 Oscula et infestos inter moriturus amores
4 ancipites patitur Naidas Eumenidas.

NYMPHIS QVAE HYLAM MERSERVNT

E99 v.1 Furitis procaces Naides
2 amore saevo et irritato :
3 ephebus iste fons erit.

- NARCISSO
- E100 v.1 Si cuperes alium, posses, Narcisse, potiri.
2 Nunc tibi amoris adest copia, fructus abest.
- IDEM
- E101 v.1 Quid non ex hujus forma pateretur amator,
2 ipse suam qui sic deperit effigiem ?
- DE ECHO DOLENTE PROPTER MORTEM NARCISSI
- E102 v.1 Conmoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo,
2 vocis ad extremos exanimata modos :
3 et pereuntis adhuc gemitum resecuta querellis,
4 ultima nunc etiam verba loquentis amat.
- DE HERMAPHRODITO
- E103 v.1 Mercurio genitore satus, genetrice Cythere,
2 nominis ut mixti, sic corporis Hermaphroditus,
3 concretus sexu, sed non perfectus utroque :
4 ambiguae Veneris, neutro potiendus amori.
- DE CONIVNCTIONE SALMACIS CVM HERMAPHRODITO
- E104 v.1 Salmacis optato concreta est nympha marito.
2 Felix virgo, sibi si scit inesse virum.
3 Et tu formosae, juvenis, permixte puellae,
4 bis felix, unum si licet esse duos.
- AD APOLLINEM DE DAPHNE FUGIENTE
- E105 v.1 Pone arcum, Paeon, celeresque reconde sagittas :
2 non te virgo fugit, sed tua tela timet.
- DE DAPHNE TECTA CORTICE
- E106 v.1 Invide, cur properas, cortex, operire puellam ?
2 Laurea debetur Phoebo, si virgo negatur.
- IN SCABIOSVM
- E107 v.1 Thermarum in solio si quis Polygitona vidit
2 ulcera membrorum scabie putrefacta foventem,
3 praeosuit cunctis spectacula talia ludis.
4 Principio tremulis gannitibus aera pulsat
5 verbaque lascivos meretricum imitantia coetus
6 vibrat et obscenae numeros pruriginis implet.
7 Bracchia deinde rotat velut enthea daemone Maenas ;
8 pectus, crura, latus, ventrem, femora, inguina, suras,
9 tergum, colla, umeros, luteae Symplegadis antrum,
10 tam diversa locis vaga carnificina pererrat,
11 donec marcentem calidi fervore lavacri
12 blandus letali solvat dulcedine morbus.
13 Desectos sic fama viros, ubi cassa libido
14 femineos coetus et non sua bella lacessit,
15 irrita vexato consumere gaudia lecto,
16 titillata brevi cum jam sub fine voluptas
17 fervet et ingesto peragit ludibria morsu.
18 Torpida non aliter Polygiton membra resolvit.

- 19 Et, quia debentur suprema piacula vitae,
20 ad Phlegethontes sese jam praeparat undas.
- DE QVODAM SILVIO BONO QVI ERAT BRITO
- E108 v.1 Silvius ille Bonus, qui carmina nostra lacessit,
2 nostra magis meruit disticha, Brito bonus.
- <IDEM>
- E109 v.1 Silvius hic Bonus est. "Qui Silvius ? " Iste Britannus.
2 "Aut Brito hic non est Silvius, aut malus est".
- <IDEM>
- E110 v.1 Silvius esse Bonus fertur pariterque Britannus.
2 Quis credat civem degenerasse bonum ?
- <IDEM>
- E111 v.1 Nemo bonus Brito est. Si simplex Silvius esse
2 incipiat, simplex desinat esse bonus.
- <IDEM>
- E112 v.1 Silvius hic Bonus est, sed Brito est Silvius idem :
2 simplicior res est, credite : Brito malus.
- <IDEM>
- E113 v.1 Silvi, Brito Bonus ; quamvis homo non bonus esse
2 ferris nec se quit jungere Brito Bono.
- IN NOTARIVM
- E114 v.1 Puer, notarum praepetum
2 sollers minister, advola.
3 Bipatens pugillar expedi,
4 cui multa fandi copia
5 punctis peracta singulis
6 ut una vox absolvitur.
7 Evolve libros uberes
8 instarque densae grandinis
9 torrente lingua perstrepo.
10 Tibi nec aures ambigunt
11 nec occupatur pagina
12 et mota parce dextera
13 volat per aequor cereum.
14 Cum maxime nunc proloquor
15 circumloquentis ambitu,
16 tu sensa nostri pectoris
17 vix dicta jam ceris tenes.
18 Sentire tam velox mihi
19 vellem dedisset mens mea,
20 quam praepetis dextrae fuga
21 tu me loquentem praevenis.
22 Quis, quaeso, quis me prodidit ?
23 Quis ista jam dixit tibi,
24 quae cogitabam dicere ?
25 Quae furta corde in intimo
26 exercet ales dextera ?

27 Quis ordo rerum tam novus,
28 veniat in aures ut tuas,
29 quod lingua nondum absolverit ?
30 Doctrina non hoc praestitit
31 nec ulla tam velox manus
32 celeripedis compendii :
33 natura dat manum tibi
34 deusque donum tradidit,
35 quae loquerer ut scires prius
36 idemque velles quod volo.